




4/2005

KALENDIS AVGVSTIS

MMV



TOMVS 27

FASC. 155

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA HELVETICA, in ædibus, quibus nomen EDITIONS ECLECTICA est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CC

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia	CHF	30.-
In ceteris terris	EUR	25.-

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Estelle (Stella) Gitta
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Praeses honoris causa:

Ulrich (Udalricus) Aeschlimann, lic. phil. I

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat: Estelle Gitta

Typographeum: Copy Quick, Saloduri

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam: RVMOR VARIVS,
C/o EDITIONS ECLECTICA Estelle Gitta
Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex
E-mail: e.gitta@bluewin.ch

www.aeschlicity.ch/rumor_varius

Institutum pecuniarium:

BCG, Genève
Estelle Gitta, Societas Latina Helvetica,
Z 3281.88.11

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA HELVETICA, bei den EDITIONS ECLECTICA herausgegeben. RVMOR VARIVS est publié par la SOCIETAS LATINA HELVETICA aux EDITIONS ECLECTICA

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich/paraît 6 fois par an

Auflage/tirage: 200

Abonnementspreise/prix de l'abonnement (jährlich/annuel)

Schweiz/Suisse	CHF	30.-
Ausland/Etranger	EUR	25.-

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich
Des spécimens peuvent être obtenus gratuitement

Redaktionsteam/équipe rédactionnelle:

Estelle Gitta
Barbara Maier
Martin Meier
Daniel Weissmann

Praeses honoris causa: Ulrich Aeschlimann

Grafik und Layout/graphisme et layout:
Estelle Gitta

Druck/impression: Copy Quick, Solothurn

Verlagsadresse/adresse de la maison d'édition
RVMOR VARIVS,
c/o EDITIONS ECLECTICA, Estelle Gitta
Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex
E-mail: e.gitta@bluewin.ch
www.aeschlicity.ch/rumor_varius

Bankverbindung/institut bancaire:

BCG, Genève
Estelle Gitta, Societas Latina Helvetica,
Z 3281.88.11




PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!



Hic annus 'Einsteinianus' dicitur ad honorem illius clarissimi physici Alberti Einstein, qui natus est anno 1879 Ulmae (Ulm) in Germania et ante 50 annos Principitoniae (Princeton) in Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis mortuus est. Ab anno 1895 ad



annum 1912 in Helvetia vixit.

Septem fere eorum annorum Einstein Bernae peregit, ubi septem omnino domicilia habuit. Maximam partem illius temporis in vico Mercis (Kramgasse) numero 49 habitabat, et ibi ante 100 annos, anno 1905, inter alia illam celeberrimam theoriam relativitatis composuit et publicavit.

Albertus Einstein homo maxime ingeniosus et facetus erat. Quod ex eius dictis apparet, quorum nonnulla exempla hic sequuntur:

"Non est mihi ingenium egregium, sed ardentissime novi cognoscendi cupidus sum."

"Phantasia maioris momenti est quam scientia; scientia enim terminata est."

"Duae res infinitae sunt: Et universum et stultitia hominum. Sed quod ad universum pertinet, id non certe scio."

"Ordinatione stulto tantum opus est, homo ingeniosus chaos regit."

"Si duas horas cum puella pulcherrima alicubi sedes, putas id unam minutam tantum fuisse. Si unam minutam super fornace fervido sedes, putas id duas horas fuisse. Id est relativitas."



"Nescio, quibus armis proximum bellum geretur, sed non ignoro, quibus armis bellum post illud geretur: sagittis et arcubus."

"Si quem iuvat, ad musicam in ordine et acie ire, eum contemno propterea, quod cerebrum magnum non nisi per errorem accepit. Medulla spinalis omnino satis ei fuisset."

"Bellum uno tantum modo prohiberi potest: Recusatione hominum in bellum proficisci."

"Homo bombam atomicam invenit, sed nullus mus mundi muscipulum componeret."

"Secundum meam opinionem aliquem interficere in bello non melius est quam vulgare homicidium".

"Tempora futura numquam curo. Ipsa satis mature venient."

Interrogatus, quanta velocitas sonorum esset: "Nescio. Memoriam non onero rebus, quas in lexico conversationis invenire possum."

"Pudeat homines, qui socordes miraculis scientiarum et technicae utuntur neque plus eorum mente capiunt quam vacca scientiae botanicae herbarum, quas voluptate devorat."

"Perversi solum homines suas sententias numquam mutant."

Ad posteritatem: "Cari poster! Nisi vos iustiores, pacis studiosiores et omnino mente saniores et prudentiores eritis quam nos fuimus - diabolus vos abducat!"

Praeterea in hoc libello aenigma Einsteinianum invenietis!

Valete!

Daniel Weissmann



Adoniorum tetrasticha altera

Aerumnarum concursus

Anxius angor
corde tenello;
me premit aegra
sollicitudo.



Desperantis inertia

Quid mihi restat
iam nisi caeli
ut resupinus
sidera spectem?

Muliebris notescendi facilitas

Nil prope nosti,
stulta videris:
clara per orbem,
femina, fies.




Nulla iam debetur magistris reverentia

Esse professor
visne, iuvence?
Praestat in agris
vertere glebas.

Orestes Carbonero

In cauda venenum

Solutio RV 2/05 p. 45-46



Quae educatio optima sit



Cur tandem pueri non antequam loquatur atque intellegat educatio incipiat, cum ex ipsa rerum electione quae oculis eius subiciantur aut timidus possit aut fortis animo fieri? Volo eum in hanc consuetudinem adduci, ut res novas, turpes et foedas et insolita specie bestias videat, sed gradatim, sed e longinquo, donec iis assuetus sit et eas, cum saepius ab aliis attractari videat, ipse tandem attrahat. Quod si puer et bufones et angues et cancos viderit nec timuerit, quamlibet bestiam, cum adoleverit, sine formidine videbit. Res horridas si quis cottidie videt, nihil iam ei horren-

dum est. Mirabili historia draconis et pueri cum eo familiariter nutriti in Arcadia rem Graece demonstrat Claudius Aelianus, Praenestinus pontifex et sophista, qui Romae sub imperatore Antonino Pio vixit, in opere de animalium natura.



Draconis catulus cum infante Arcade, et ipse in Arcadia natus, simul educatus perhibetur, deinde etiam cum progressu aetatis, et puer iam adulescens, et draco iam grandior esset, mutuam servabant amorem. Adulescentis vero necessarii, cum feram vidissent tam brevi tempore, ut magnitudine praegrandem, ita aspectu immanem evasisse: dormientem aliquando cum puero eodem in lecto, in locum remotissimum deportarunt: eoque illic relicto, cum puero redierunt. Mansit igitur in silvis draco, nascentibus illic herbis et venenis vescens, et solitariam vitam domiciliis et habitationibus hominum praeferens. Postquam vero adiecto tempore, et puer iuventutem, et draco aetatem perfectam attigit: idem hic Arcas iuvenis, cum per desertam sui amantis regionem aliquando iter faceret, in latrones incurrens, strictis gladiis appetitus fuit, et percussus quidem, sive quod doleret, sive quia opem imploraret, auxilium, ut par erat, exclamavit. Draco autem bestia, et ad audiendum acerrima, et ad videndum acutissima, postquam puerum, quo cum amoris consuetudinem habuerat, exaudivit, edito sibilo, tanquam ire suae denuntiatione formidinum terrorem illis iniecit: cuius metu trepidantes scelerati, alii alio disperguntur: quosdam deprehensos acerbissima morte affecit. Deinde ut veteris amici vulnera purgavit, et per loca illa in quibus serpentes erant, ipsum est comitatus, postea ad eum locum revertit, quo



expositus fuerat: neque tamen ei ex eo iratior factus est, quod in solitudines abiectus fuisset, neque ut perversi homines antiquum amicum in periculo deseruit.

Rettulit Stella Gitta



De arte scaenica

Personas quidem omnis puer reformidat. Ego vero, Rousseau ait, personam primum Aemilio iucundo vultu ornatam ostendo; mox eamdem aliquis in os sibi coram eo apponit: rideo, rident omnes, ridet sicut ceteri puer. Paulatim eum personis visu minus iucundis assuefacio, denique taetris imaginibus. Si rem ego per iustos gradus deduxi, tantum abest ut personarum ultima terreatur, ut in ea, quemadmodum in prima, rideat. Quo facto, non timeo ne quis eum personis ullis terreat.

Rettulit Stella Gitta

Incepta eruditionis Latinae ludi superioris in oppido nomine 'Düdingen' anno 2003 acta IV




De personis comoedis Romanis sculpendis


Romanus (Roman) Aebischer, Dinus (Dino) Angelelli
Ernesto Ruffieux, ligni sculptore adiutore, in vico nomine Plasselb habitante.



Primum caudex ligni tiliae altitudinis 16 centimetrorum in tabula serrae iacet. Deinde secundum lineamentum formae serra dissecantur.



In aversis assere ad collocandum cochleis (cochlea, -ae: Schraube) fixo magister Ruffieux demonstrat, quomodo agendum sit.



Dinus omnia exsculpsit, quae infra nares sunt.



Romanus velut dentista terebrat - sed nemo doloribus vexatur!



Post tres dies dimidios magistro saepe adiuvante finis operis appropinquat.


Quis linguae Latinae seriose studere potest, cum semper aliqui iuxta tabulam ridens ringitur?






Romani quoque opus exemplo valde simile est magistro perpoliente.

Versio Latina: Daniel Weissmann



Ludamus!
Solutio (RV 2/05)



					T	E	V	I	A	A	I	O	S																	
			Q	V	A	M	D	I	V		L	A	D	A	N	V	M		L	E	A	M								
			E	G	I		A	T	R	A	M	E	N	T	A	R	I	O	L	V	M									
		C		E	R	I	N	E	S		V	L	I	G	O		E	I	V	L	A	T	I	O						
A	C		S	P	A	N	D	I	T	V	S		L	I	T	O	R	E	V	S		R	E	H	A	C				
E	N	C	A	V	T	A	R	I	O		A	L	V	M	I	N	A	R	I	S		T	R	V	N	C	A	T	I	
	T	E	M	P	E	R	A		M	O	B	I	L	I	T	O	R		M		D	I	A	S	T	O	L	E	S	
R	E	S	P	I	R	O		V	I	R	I		A	R	A	S		R	O	S	A	M		I	C	O	S			
	M	A	E	S	T	A	S		T	E	L	A	M	O	N	V	M		N	V	T	A	S		C	I	S	S	I	
I	E	N	S		E		E	G	O	M	E	T		C	I	M	I	C	I	A		B	V		O	B	E	M		
	R	I	T	A	R	E		E		S	T	V	R	A		A	R	V	N	D	I	N	A	R	I	I	E			
C	I	S	R	H	E	N	A	N	E			A	N	O		A	S	E	M	O		L	I	N	V	L	V	M		
D		E	A		I	S	E	L	A	S	T	I	C	A	M		B		R	V	I	S		M	I	D	E	S		
A	I	S			A	T	T	R	I	V	I		C	V	N	E	O	R		V	I	T	T	A		S	I	L	O	
A	P	E	S		E	R	A	N	I	S	T	A	M		T	R	I	A	M	B	E	A	S		C	I	S			
V	N	I	V	E	R	S	A	L	I	S		O	S		B	O	A	S		O	R	E	T	A	N	O	S			
	V	R	I	N	E		B	I	S		A	T		M	O	R	T	V	A		N		R	E	I	S	E			
E	M	A	C	I	A	T	I	S		E	V	A	E		S	I		R	E	B	E	L	L	I	S		D	E	A	
		M	I	S	S	I	S		C	A	E	S	V	M		S	P	A	R	V	S		I	S		V	I	A	S	

Sententia: Permissa putantur omnia quae non sunt prohibita

Ludum vobis proposuit et solvit Estelle Gitta

Proverbia Hispanica



Más caro es lo donado que lo comprado.

Cariora sunt donata quam empta.

*

A la corta o a la larga, el tiempo todo alcanza.

Longius aut brevius tempus omnia assequitur.

*

A vino de mal parecer, cerrar los ojos al beber.

Ad vinum malae speciei oculos claude in bibendo!

*

Donde una puerta se cierra, otra se abre.

Ubi alia porta clauditur, alia aperitur.

*

Caer de su asno.

De asino suo cadere.

*

El que en sí confía, yerra cada día.

Ille, qui sibi ipsi confidit, omni die errat .

*

Amor de puta y vino de frasco, a la noche gustosos y a la mañana dan asco.

Amor scorti et vinum e lagona, nocte suavia et mane plena taedii.

El buen huésped con poco se contenta; al ruin poco le basta.

Hospes bonus paucis contentus est; sordido pauca satis sunt.

*

El diente y el amigo, sufrirlo, con su dolor y vicio.

Et dens et amicus patiendi sunt cum doloribus et vitii suis.



La cama es buena cosa, quien no puede dormir, reposa.
Lectus est res bona: qui dormire non potest, requiescit.
*
A cartas, cartas, y a palabras, palabras.
Epistulis epistulae, et verbis verba.
*
No son todos ruseñores los que cantan entre las flores.
Non omnes, qui inter flores cantant, luscinae sunt.
*
Agua no quebranta hueso.
Aqua ossa non frangit.


Casa sin moradores, nido de ratones.
Casa sine incolis murium nidus.
*
A amor y fortuna, resistencia ninguna.
Amori et fortunae nemo resistere potest.
*
Reprende al amigo en secreto, y alábalo en publico.
Reprende amicum secreto et lauda eum publice!
*
El que no sabe, tanto es como el que no ve.
Ille, qui ignorat, est velut ille, qui non videt.
*
El vino demasiado, ni guarda secreto ni cumple palabra.
Nimium vinum neque secretum servat neque fidem praestat.




In Latinum vertit Daniel Weissmann

Iter per Helvetiam (II)

D. 31. Maii summo mane et parum refecti iter ingredimur per agros et arva amoena, quae *Trollium Europaeum* saepius alebant. Quod commoditati vitae decesserat, abunde compensatum fuit ex contemplatione regionis, visum plurimum recreantis, in qua situs est pagus conspicuus



Kilchberg, in quo opipare excepti prandemus.

Traicimus alveum peramplum, saxis tectum, amnis *Emmae* ponte longo sublicio, ex quo ad sinistram patet prospectus in vallem *Emmiam*, olim steriliorem nunc cultissimam. Ad dextram e longinquo nos

comitantur mons quem *Blauberg* incolae mihi vocarunt, et reliqui Solothurienses. Ab iis tandem recedimus, viam facientes per pascua fertilia, agros silvasque tam abiegnas, quam quernas et faginas, donec vesperi ingruente *Bernam* intramus.



Partim eo iam die, quam d. 1. Jun. memorabilia urbis, tam aedificiorum fornicatorum et ex lapide arenario tenero, humiditatem tamen non bene ferente, superbe structorum, quam munditie platearum admodum conspicuae perlustramus, Curiam Senatoriam, Armamentaria, Nosodochium pluribus modis commendabile et ambulacra publica visitamus. Tellii liberatoris patriae suae statua ex adverso e filii capite pomum balista deiicientis, et arma Burgundiorum vetusta, cum similibus aliis nobis monstrata sunt. Plurimum delectatus sum ex colloquio Perillustr. *Halleri*, ex urinae etsi difficultate, a podagrica materia retenta orta male habentis, et singulare studium praedicare possum, quod Dn. *de Fastnacht*, Consilii supremi membrum et Iudex (Baillif) de Morges, et eius gener Dn. *Muller* in nos contulerunt; extra urbem etiam exspatiatus sum ad contemplandos eminens Montes glaciales, quos ante hos viginti annos pedes emetitus fueram.



Ad d. 2. Jun. Bernam egressi prata montosa et *Moratum* postea attingimus, quod praeter ossa Burgundiorum a




manu helvetica caesorum, sacello ad viam structo conditorum, inscriptionibus celebrata parum notabilis ostendit. Ripas Lacus Moratensis diu secuti sumus, et dein



Aventicum pervenimus, extra cuius moenia ad basin montis ingressi sumus casam, pavimento Musivi operis superstructam. Totum pavimentum cubis parvis in spatia quadrata ordinatis compositum est, quae varias figuras modo florum modo fomarum humanarum



exprimunt, quarum aliqua diruta, praesertim cum petente Comite *de Caylus* aliquae loco movenda fuerant,



maxima vero pars bene servata erat. Aderat caput iuvenis cincinnatum et radiis cinctum, solis aut Apollinis ut videbatur. Ante portam iacuit columna ex marmore straminei coloris, et portio superliminaris cuiusdam, ornamentis circinatis notati.



Continuamus iter *Paterniacum* usque, ubi pernoctamus, coenantes in curia urbis, antiquitatis faciem praeferente.

D. 3. Jun. Paterniacum relinquimus et ad altiora sensim evenimus. Quin autem plures decerpserim herbas, ibi forte, occurrentes, continua pluvia impedivit, quae totum diem occupavit, adeo ut media inter fulgura Lausannam vesperi intraremus, etsi nix toto die ceciderit et remanserit in Alpibus Valesiacis, eminus conspectis. Lausannae commoratus, partim ob pluviosum tempus, partim ob negotia, non nisi ad d. 8. Jun. primum extra moenia exspatiari mihi licuit. Eo autem die versus lacum iter direxi.



Ad d. 12. Jul. instruxi iter in montem luram, ut memorabiliora Lacus ibi siti, et alia contemplerer, Lausanna multo mane profectus. Ad vias diu satis fuit inter vulgatiores plurimas, *Blattaria lutea*, et cum in medio regionis istius montosae iter facerem, ad dextram colles altiores, passim villis moenis silvulis, inter quas aliquae laricinae, et vineis ornati siti fuerunt; ad sinistram vero prospectus in planiorem partem agri

Vaudensis undique urbeculis, pagis et villis distinctam, ut et in lacum Lemantum patuit, quem ex opposito litore Sabaudia montosa limitat, et visum miro modo recreat, ad altiora sensim emergens versus... *Cislus Helianthemum*, sed foliis magis rotundis et hirsutis, aequae ut apud nos in montosis asperioribus, varians, nos comitabatur. Ad ipsos montis lurae tractus accedens, qui toti silvosi sunt. Superata aliqua iugi parte aditus se parat in vallem, in qua *Lacus de Joux* situs est, amphitheatri in morem oculis sese obiiicientem, quod ab occidente obliquo ductu in septentrionem porrigitur, planitiem duplex lacus, medio vallo diremtus, replet, adclivia, pagos, etsi non speciosos, incolas tamen ad 3000 comprehendentes, oculis obiiiciunt, quae montes altiores, etsi non ex altissimis undiquaque claudunt, et angustas saltem aliquas valleculas pro exitu relinquunt.



Ad visitandum lacum septentrionalem me cymbae commisi, quam humanus hospitii dominus ipse direxit. Lacus triangularis fere formae nigram quasi aquam vehit, quod profunditati tribuo, ab hospite confirmatae. Traiciens descendi in angulo septentrionali, ubi lacus aquam exonerat per gurgites horrendos, sub petris calcariis praeruptis tristibus sese ascondentes, et aquas secum abducentes, quae scaturigines Orbae amnis perhibentur, infra in valle confine emergentis, quod ex situs ratione vero satis simile videtur, etsi sat longe distet. Audax sollertia hominum ibi aedificavit molendinum et machinam scindendis in asses



arboribus dicatam, quae artificiose structa est ita, ut serra una cum machina absoluto opere sese retrahat et opus redintegret. Lacu, vento subsolano quidem valde agitato, oppositum litus repeto, et rupes meridionales, septentrioni oppositos perrepto. Inferiora istarum rupium, frutetis consita dederunt in saxis soli expositis

Saxifragam sedifoliam rotundifoliam, in opacioribus vero eandem foliis adeo longis et fere longioribus, quam Gesnerus Fasc. I pinxit, quare et haec Helvetiae indigena et vix diversa videtur.



Altero mane ad d. 13. Jul. mox post solis ortum adscensum paravi in montem ibi celebrem, *la Dent de Vaulion* vocatum. Statim e deversorio adscendens via aliquas rupes tangit, in quibus *Erinus alpinus* L.

Ageraum Tournef. copiosissimus fuit, et laete floruit, amoeno flore dilute purpureo oculos iuvans. Exinde ad valleculam montanam penetratur, quam prata humida subpaludosa formant. Tandem in summum dorsum emergo sicco solo, non nisi tenui gramine vestito, tectum. Hoc in parte septentrionem et occidentem partim respiciente muri instar praeeruptum est, et 3500 circiter pedes altum aestimabatur a viae ductore, (quod non ipse exploravi, instrumentis necessariis destitutus) et horrenda omnino ex ista parte obiicit, etsi supra istud praecipitium magna Galliae finitimae pars ad *Vesuntium* usque sese obiiciat. Ad orientem et ex parte septentrionem magis occurrit visui magna pars *Lacus Neocomensis*, ad occidentem vero e longinquo se obiiciat mons *Dola*, et infra propius Lacus uterque *de Joux* cum aliquot aliis finitimis minoribus. Meridiem et ex parte orientem versus *Lacus Lemani* magna pars, et regio Lausannam ambiens patet, et e longinquo ultra hunc limites oculo



ponunt, ad sinistram cacumina nivosa Alpium Valesiacarum, et ad dextram series cacuminum, aeterna glacie tectorum montis *Maudit* s. *Mont Blanc* vocati. Cuncta ista viatoris molestum satis adscensum largiter compensant tot pulcherrimis

obiectarum rerum simulacris.

Aliqua quiete paullum reffectus descendo rursus, paullo devians per aliam semitam praecipitii latera sequentem diverto ad arbores quasdam demortuas, quas aequae ac Pinum Cembro *Vsnea nigricante* copiose obsessas repperi. Totus mons lapide calcario grysei et albidu coloris componitur, absque ullis petrificatarum rerum vestigiis, et in via occurrit putei initium, quem ut referebatur, pastor aliquis ecclesiae finitimae cum spe inveniendi venas metalliferas, fodere incepit, spe autem frustratus, ab opere desiit; occurrit interim nobis aliquis, quem viae doctor pro metal-

lifossore agnovit, quorum aliqui in hunc usque diem audacissimo conatu se ad plures orgyas ad praecipitii latera in confiniis, ubi Dryas fuit, sicut supra dixi, funibus demittunt fodiendi causa, quid vero inveniunt, nescitur.

Transitur per struis alicuius carbonariae locum, in quo super terram carbonibus minutis mixtam copiose crevit *Peziza minima crocea*. Ex claustris demum emergimus, translati in vallem sensim ampliorem, fertilissimam quibusvis generibus frumenti et graminis, quam perfluit ad lacum Neocomensem tendens, amnis *Orbe*, cuius pagus *Orbe*, variis officinis ferrariis celebris. Ad dextram vallis viam continuantes tandem ad altiora magis elevamur, ex quibus prospectus patet non solum in catarractam eiusdem amnis perelegantem ibi occurrentem, sed et in viam regiam, quae ex Helvetia in Gallias eo loco ducit.



Per montosa continuantes in obiectas ad sinistram regiones, in quibus *Clusa* oppidulum situm est, quod monti solitario impositum, difficile accessu videtur, et e longinquo



Eborodunum, versus *Lacum Neocomensem* oculos pascimus varietate locorum, donec hoc montium iugum superantes ad dextram quoque prospectus sese aperit in totam regionem *Vaudensem* usque ad *Genevam* versus, fertilissimam praecipue vineis praestantissimis.

Adimus demus oppidum *Sara*, castellum antiquae familiae. Antequam ad illud accedimus, transimus rivum, qui molendinum circumagat, et cuius pars una ad Lacum Neocomensem, et altera ad Lacum Lemantum tendit, adeoque hoc modo, non solum in Oceanum mediante priore, sed et in mare mediterraneum mediante posteriore undas suas propagat. Tandem redimus Lausannam.



Excerpta e relatione itineris, quod annis 1773 et 1774 per Helvetiae



Ad Mexicani fluvii ripas

Huius carminis verba originalia Red River Valley ab ignoto quodam in linguam Theodiscam translata Martinus Meier Latine reddere conatus est.

Ripas fluvii, en, Mexicani
currus placide has sequitur.
Laetus sum et contentus,
bubulci
quia vita a me agitur.

Occidente in Texia sum natus
equitandi peritus et sum
Ecce, villa pro silva stat mea,
quae carissima est omnium.

Ignes vesperi cum accenduntur,
inflammatur bubulci et cor.
Somniat de amore peracto
fidei et doloris memor.

Die, quo equitabo in caelum
hora et aderit ultima,
ponite mihi tum, o bubulci,
tumulum rivi ad litora.

*An den Ufern des Mexiko-Rivers
zieht ein Wagen so ruhig dahin,
und ich bin ja so glücklich und zufrieden,
dass auch ich ein Cowboy bin.*

*Bin im Westen von Texas geboren,
mit den Pferden da kenn' ich mich aus.
Seht, dort drüben am Waldrand da steht
es,
mein geliebtes Rancher-Haus.*

*Wenn am Abend die Feuer entflammen
dann schlägt höher dem Cowboy das
Herz,
und er träumt von vergangener Liebe
und von Treue und Sehnsucht und
Schmerz.*

*Wenn ich einmal muss
reiten ins Jenseits,
wenn gekommen mein
allerletzter Tag,
dann gräbt mir, o ihr
Cowboys, als Letztes
an den Ufern des Rivers mein Grab.*



PROPOSITIO ALCVINI SOLUTA:

DE DUOBUS HOMINIBUS SORORES ACCIPIENTIBUS

Verbi gratia : si ego accipiam sororem socii mei, et ille meam, et ex nobis procreentur filii : ego denique sum patruus filii sororis meae, et illa amita filii mei. Et ea propinquitate sibi invicem pertinent.



Euro an euronus?

Incipiente anno 2002 in plurimis terris Unionis Europaeae adhiberi coepta est communis unitas pecuniaria, cui in diversis linguis etiam nomen est commune: *euro* (Angli quidem adhuc etiam de *eurocurrency* loquuntur). Qua congruentia fit, ut, cum decernere velimus, quonam modo Latine denominanda et declinanda sit haec nova pecunia, nemini dubium esse credas, quin optimum factu sit nominativum sive casum rectum, quem in omnibus vocabulis declinandis pro fundamento habere consuevimus, in forma aliis linguis iam stabilita immutatum servare eamque in tertia declinatione (*euro, euronis*) collocare.

Hanc simplicem simulque lucidissimam rationem secutus Thomas Pekkanen primum nuntium Latinum Radiophoniae Finnicae Generalis 4.1.2002 emissum "*Euro in usum receptus*" inscripsit (crassiculae litterae me auctore), ac de *euronibus* in locum pecuniarum nationalium succedentibus haec rettulit: "Inito novo anno circiter trecentae miliones Europaeorum, qui in duodecim terris Unionis Monetariae Europaeae habitant, pecuniis suis nationalibus depositis chartas nummarias monetisque communes in usum receperunt. Nova pecunia est *euro*, qui in centesimas divisus est. Apud plerosque populos Unionis pecunia nationalis iuxta *eurones* usque ad finem mensis Februarii adhiberi poterit. Transitus in usum *euronum* fuit ingens operatio, nam anno vergente quinquaginta miliarum et quattuordecim miliarum et dimidium chartarum nummariarum publice emissa sunt."

Eo mirabilia sunt, quae in fasciculo VOCIS LATINAE (146/2001, p.559) leguntur: "...pro ipsa *institutione unius septimanae 95 euronis* solvendi sunt". In hoc enuntiato nova unitas pecuniaria in secundam declinationem translata est (*euronus, euronis*) et forma sua fundamentali desistere coacta. Equidem vix unicus sum Latinista, qui malit pro subnotatione annua VOCIS LATINAE septendecim *eurones* quam totidem *euronos* (!) solvere, licet in ultima pagina eiusdem libelli declaretur pretium subnotationis annuae esse 17 "*euronorum*" (non *euronum*)

atque fasciculum singularem quinque "euronis" (non *euronibus*) constare.

Novissimis fasciculis LATINITATIS nondum inspectis nescio, quidnam Latinistae Civitatis Vaticanae de hac re censeant. Nihilominus, a quibuscumque creatum est vocabulum secundae declinationis *euronus*, eos rogo, ut, si ipsi Latine loquentes in "*eurono*" perseverare malint quam taciti sententia rationaliter mutata *euronem* ei substituere, ceteris Latinistis benevole enarrent, quibusnam argumentis nisi ita agant.

Neque tamen, quae supra scripsi, ita intellegi oportet, ut *euronus* atrociter ab omni usu sit excludendus. Nonnulli Latinitatis periti, quos de hac re sententiam rogavi, uno ore consentiunt illam formam secundae declinationis, quamvis pro ipsius unitatis pecuniariae denominatione male cedat, tamen aptam esse, quae pro substantivo derivato adhibeat. Constat etiam hodie passim acerrime ambigi, quatenus omnino operae pretium fuerit communem unitatem pecuniariam Europaeam creare. Quid, si fautores *euronis* *euronos* atque adversarios eiusdem *antieuronos* vocemus? E.g. Renato Ruggiero, Italiae pristinus minister rerum exterarum, sincerissimus *euronis* fautor sive *euronus* est, Silvio autem Berlusconi, qui primus minister Italiae factus res eo perduxit, ut etiam exterarum rerum ministri munera sibi mandarentur, potius adversarius *euronis* sive *antieuronus* esse perhibetur.

Quomodo nova pecunia Latine appelletur, nimirum non auctoritate cuiusquam, sed usu decernetur, "quem penes arbitrium est et ius et norma loquendi" (Horatius, *Ars poetica* 72). Magnopere tamen mirabor, nisi e certamine inter duas formas propositas orto *euro* superior discesserit.

Ericus Palmén



Nationum Europae sententiae et proverbia

Si juvenis sciret et senex posset, nihil esset, quod non conficeretur.



Italia

*



Russia

Avis ramum simplicem caveae aureae praefert.

*

Bibere curas depellit, sed tantum usque ad crastinum.

*



Suetia



Francogallia

Rivuli parvi magnos denique fluvios efficiunt.

*

Ille, qui alienis impendiis ridet, aes alienum facit.

*



Polonia



Dania

Nihil amittis, cum tua candela illam alterius accendis.

*

Amor et amicitia sunt aves, quae capi non possunt.



Armenia



Bulgaria

Silendo diabolus irritatur.

*

Omnes ursum noverunt, sed ursus nullum cognovit.

*



Finnia



Tzechia

Non canis, sed ovis dentes iocus habeat.

*

Imbres magni paucis guttis incipiunt.

*



Serbia



Scotia

Abundum cor numquam mentitum est.

Latine tradidit Daniel Weissmann

Aenigma Einsteinianum



Hoc aenigma ab Alberto Einstein, physico celeberrimo, compositum esse dicitur. Qui autumavit id a 98 % hominum solvi non posse. Certe autem RVMORIS VARIII lectores inter 2 % sunt, quibus solutio non sit difficilior!

- 1) Sunt quinque domus variorum colorum.
- 2) Unaquaqueque domus incolitur ab homine varia e civitate oriundo.
- 3) Unicuique incolae est potus praedilectus, species cigaruli praedilecta, bestiaque domestica praedilecta.
- 4) Nulli horum quinque hominum est res ulla communis.

QUAESTIO: Cui horum hominum est piscis?

Indices :

- a) Anglus in domo rubra habitat.
- b) Sueto canis est.
- c) Danus theam diligit.
- d) Domus viridis sita est a sinistra parte domus albae.
- e) Is, cui domus viridis est, caffeam sorbillare solet.
- f) *Pall Mall* fumans avem habet.
- g) Is, cui domus media est, lac bibere amat.
- h) Domum flavam possidens *Dunhill* fumat.
- i) Norvegus primam domum incolit.
- j) *Marlboro* fumans iuxta eum, qui felem habet, habitat.
- k) Equum habens iuxta *Dunhill* fumantem habitat.
- l) *Whinfield* fumans cerevisiam bibit.
- m) Norvegus iuxta domum caeruleam habitat.
- n) Germanus *Rothmanns* fumat.
- o) *Marlboro* fumanti vicinus aquam bibens est.

Nunc, carae lectrices carique lectores benevoli, intendite mentes vestras et similiter agite ac in vertendis sententiis Latinis!

Martinus Meier

Subnoto RV, ut ipse accipiam
(Ich abonniere RV für mich selber)

Subnoto RV DONO DATUM ei, cuius
inscriptio cursualis supra indicata est
(Ich abonniere RV als Geschenkabonne-
ment für jemanden, dessen Adresse oben
angegeben ist):

Factura subnotationis mittenda est ad inscrip-
tionem cursualem infra indicatam (Die Abonne-
mentsrechnung ist zu senden an):

Ort, Datum: _____

Unterschrift: _____

Hier bitte
frankieren

RVMOR VARIVS
C/o EDITIONS ECLECTICA
Estelle GITTA
Ch. F.-Lehmann 2
1218 Grand-Saconnex


PP/Journal
1218 Le Grand-Saconnex



4/2005

KALENDIS AVGVSTIS

MMV



RVMOR VARIVS



TOMVS 27

FASC. 155